



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

4. Respondetur ad argumenta adducta pro affirmatiua sententia. Et quæritur, an pro solutione, quæ fit Romanæ Ecclesiæ probetur exemptio à iurisdictione Episcoporum? Ex. p. 10. tractatu 7. resolut. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

## RESOL. IV.

Respondetur ad argumenta adducta pro affirmativa sententia. Et quaeritur, an per solutionem census, quae fit Romanae Ecclesiae, probetur exemptio à iurisdictione Episcoporum? Ex p. 10. tract. 7. Ref. etiam, 4.

Sup. omnibus responsionibus adductis in hac Ref. lege fundamenta posita in prima Ref. huius tract. quae hic est supra Ref. etiam prima.

§. 1. **E**X his omnibus patet responsio ad omnia fundamenta, quae pro stabilenda affirmatiua sententia apposita sunt supra in Resol. 1. Quamuis enim protectio iurisdictionem non tribuat, nec dominium probet, aut à iurisdictione ordinarij eximat, per supra allegata, nõ tamen indè deduci potest, quòd temere subditis liceat protectorem euocare vel suscipere, cum id multis alijs in rebus; vt liquet ex supra dictis rationibus, proprijs dominis praedicare possit. Quia propter, quoniam sub huiusmodi titulis periculose peccari solet, & sub umbra protectionis clientes in seruitutem trahi ( cuius non aliquid dedoler lex 7. in. fin. ff. de capt. fiunt, inquit, apud nos rei ex ciuitatibus Fœderatis, & in eos damnatos animaduertimus ) visum est Summis Pontificibus necessarium in Ecclesiasticis excindere radices, vnde fraudes, Ecclesiarum praedictis nasci possunt: adedque Praesulibus, alijsque Ecclesiasticis discrete vitium est, ne transeant, Ecclesiarumque suam in clientelam alicuius, protectionem aut aduocaciam concedant cap. 2. de reb. Eccles. non alien. in 6.

2. Itaque nunc tantum restat respondere ad iura Canonica. & Leges ciuiles in contrarium adductas. Et ad cap. Recepinus extra de priuileg. quod praecipue allegari ad hanc rem solet, dico quòd illud nostram non stringit sententiam, quae de non requisito domini consensu disputat; allegatum autem capitulum strictè loquitur in casu, quo ipse Papa protector electus fuerat; & quaesitum in eo principaliter fuerat. An per solutionem census, quae fit Romanae Ecclesiae, probetur exemptio à iurisdictione Episcoporum? Et rescripsit Alexander Pontifex, quòd sicut non omnes specialiter Beati Petri iuris exsistent annuatim, Apostolicae Sedi censum exsoluunt, ita non omnes Consulares ab Episcoporum subiectione habeantur immunes. Inspecienda ergo priuilegia Ecclesiarum, & ipsorum tenorem diligentius attendendū: vt si fuerit deprehensum, quòd Ecclesia, quae censum soluit, specialiter B. Petri iuris existat, & ad iudicium perceptae libertatis census annuus conferatur, non immeritò speciali possit praerogatiua gaudere, si verò ad iudicium perceptae protectionis Census persoluatur Ecclesiae Romanae, non ex hoc iuri diocesani Episcopi aliquid videri subtractum. Itaque nihil reperitur in allegato cap. Recepinus; quod pro affirmantium opinione fulcienda, facere possit. Et ita ad hunc Textum respondet Dominicus Arumæus ad auream Bullam Caroli IV. discurs. 6. cap. 15. n. 2. vbi sic ait: Quod enim ad cap. Recepinus extr. de Priuileg. attinet, nihil id aliud innuit, quam per solutionem census annui, quae fieri Romanae Ecclesiae solet, non probari exemptionem à iurisdictione Episcopi, quod sanè nostram non afficit sententiam, quae an inficio, imò inuito domino, census honorarij annui loco persolui aliquid alteri possit collinat. Qua de re oppositum cap. non agit, si quidem an census ille pro patrocinio, vel qua alia de causa, & an inuito Episcopo Ecclesiae Romanae persolutus sit, non insinuat: similiter non obstat cap. Ex parte eod. Loquitur enim de iis, qui recepti sunt sub protectione Papae, dicitque eos per hoc ab Episcoporum suorum potestate minimè extrahi. Nam etiam sine speciali receptione vniuersalis potestatis iuritu eidem subiecti sunt, Hucusque Arumæus.

3. Ad leges verò ciuiles adductas respondeo cum Magero de aduocacia a mata, cap. 6. num. 389. quòd ad §. finalem in l. Desertorem ff. de rei milit. attinet, clarum esse illum loqui de delictoribus militiae capite puniendis, qui Praefectum, vel Magistratum militiae, cum possent, non protexerunt: nec vllam ibi fieri mentionem de libertate Subditorum in eligendis protectoribus: palam est. Praeterea protectores, quorum fit mentio leg. 1. C. de excus. nam lib. 10. & tit. singulari. Cod. de domest. & protectoribus lib. 12. erant ex aruata malitia delicti, qui defendendi, & protegendī causa Principi semper erant à latere, qui que, vt ipse Imperator ait, leg. 9. Cod. Theod. eod. tit. protegendī lateris nostri sollicitudinem patiuntur. Vide Cuiac. titul. de Domest. & protect.

## RESOL. V.

An opinio superior obstat Eminentissimis Cardinalibus, vel Romanis Baronibus, qui cum stigmatibus Imperatoris, Regis Hispaniae, Galliae, &c. appositis in eorum Palatijs videntur profiteri, stare se sub protectione dictorum Principum?

Et quid, si in rigore insignium appositio in Palatio Cardinalium, & Baronum demonstrat ipsos sub stricta protectione illorum Regum stare, & non tantum ad ostendendum animi propensionem in ealem, vel talem Regem?

Et docetur prohibitum esse, ne Praelati Ecclesiarum sibi commissarum bona immobilia, aut iura Laicis submittant, aut subiciant, nec etiam ex ipsis Patronos, vel Aduocatos perpetuos, vel ad tempus non modicum constituent, &c. Ex parte. 10. tract. 7. Ref. etiam 5.

§. 1. **Q**ui negatiuum sententiam superius adductam tenent, haec non approbant: nam vt diximus, putant, quòd ex hoc auctoritas, & obedientia veri domini, non parum minuat: imò iniuria quodammodo afficiatur dominus, dum pro tali reputatur, qui tanti non sit animi, ac potentiae, vt suos tueri possit. Licet enim protectio à iurisdictione non eximat; est tamen plerumque Politicis ad stipulantibus, initium iurisdictionis. Adde, quòd de Eminentissimis Cardinalibus adest maior difficultas, stant Bulla Gregorij X. vt obseruat Gregorius Becht. in Tract. de securitate, & saluo conductu. c. 10. Quod probatur, vt supra cursim tetigimus, ex cap. Hoc consultiissimo de reb. Ecclesiae non alienandis in 6. vbi ad litteram prohibetur, ne Praelati Ecclesiarum sibi commissarum bona immobilia, vel iura Laicis submittant, aut subiciant, nec etià ipsos in patronos, vel aduocatos perpetuos, vel ad tempus non modicum constituent; nisi ultra Capituli consensum, Apostolicae quoque Sedis licentia specialis accedat. Quod quidem ad ob strictè prohibetur, vt si contractus aliter factus fuerit; tamen si iurisdictioni accessione, aut potestatis adiectione vallatus fuerit; is tamen viribus omninò careat, nec vllum ius praescribendi tribuere intelligatur. Quem textum ita simpliciter intellexisse videtur Zafius in Compend. feud. part. 10. de feud. amiff. post n. 55. dicens, huiusmodi aduocatos non esse perpetuos, sed reuocabiles; nisi Summi Pontificis pacifcenda protectionis vnione, consensus accesserit; per Text. in cap. Hoc consultiissimo. Vide etiam Henricum Rosenthal in Synops. de feudis, cap. 4. concl. 14. num. 5. expressè adsecurantem, hodie ob prohibitionem iuris Canonici, Praelatos non posse assumere Laicos in aduocatos, & protectores per Textum in cap. 1. de reb. Ecclesiae non alienand.

2. Verum